

1732  
698  
2. D. B. V.  
DISSERTATIO IVRIDICA

DE

REATV

NON

OMNEM DIGNITA-  
TEM EXCLVDENTE,

*ad L. 1. C. Vbi Senator. vel Clarissimi &c.*

QVAM

IN REGIA FRIDERICIANA

PRAESIDE

IOANNE TOBIA CARRACH

I. V. D.

PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBIIICIT

AVTOR

BERNHARDVS FRIDERICVS

DE SCHADE

EQVES BREMENSIS.

---

DIE XX APRILIS MDCCXXXII.

H. L. Q. C.

---

HALAE MAGDEBVRGICAE

STANNO GRVNERTIANO.

DISSERTATIO IURIDICA  
DE

# REATA V

NON

## OMNEM DIGNITATEM EXCIPIENTE

AD L. I. C. NII SCIENTIAE V. C. CHRISTIANI

AVGUSTI REGIAE PRAESIDIUM

### IOHANNES TOBIA CARACH

V. G.

PUBLICAE BIBLIOTHECAE UNIVERSITATIS HALLENSENSIS

AUTOR

### BERNHARDVS FRIDERICVS

DE SCHADE

DOCTOR IURIS

MDCCCXXI

H. L. G.

HALLAE MAGDEBURGENSIS  
STANNS GRVNTIANS



**VIRI**  
**PERILLVSTRIS, ILLVSTRES, EXCELLENTIS-**  
**SIMI GENEROSISSIMI,**  
**MAECENATES, SYMMOPERE COLENDI**



Vanto maior **VESTRA, PA-**  
**TRONI MAXIMI,** sollici-  
tudo est, quam consilio, auto-  
ritate, re salutem publicam in-  
defesso studio adiuuantes, in  
republica gubernanda collocatis; tanto illu-  
strior ea redditur, quod cum insigni humani-  
tate erga ciues coniuncta sit, nec ardua reipu-  
blicæ cura, saluo tamen bono publico, gra-  
tiam in singulos impediat. Ipse meo meo-  
rumque exemplo egregia multa prædicare  
possem; nisi scirem, quam magnum sit, non  
laudari, & esse laudabilem, atque hæc tantum  
dicerem, vt audaciæ veniam impetrem, qua  
**VESTRIS** manibus libellum hunc humiliter  
offero. Dum enim studia, ad quæ animum ap-  
puli,

puli, istam maxime concernant disciplinam,  
quæ reipublicæ salutem per tranquillitatis in-  
ternæ conseruationem pro fine habet, eo-  
rumque tyrocinium iam ponam; meum esse  
dixi, primitias hæc laborum, VOBIS, qui-  
bus salus publica maximæ curæ cordique est,  
MAECENATES SVMMI, consecrare.  
Addite ergo, quæso, benevolentia VE-  
STRAE erga me insigni cumulum, & accipi-  
te benigne leue quidem sed ingenuum docu-  
mentum cultus, quo VOS, PATRONI MA-  
XIMI, veneror: VESTRA que gratia, uti sue-  
stis, in posterum etiam me perfrui humaniter  
ut concedatis, obnixè rogo. Ego omnes ner-  
uos contendam, ne beneficium hoc in ingra-  
tum collatum videatur, qui, dum spiritus reget  
artus, me præstabo

VIRI

PERILLVSTRIS, ILLVSTRES, EXCELLENTIS-  
SIMI GENEROSISSIMI,  
INCLYTORVM NOMINVM VESTRORVM

*cultorem obseruantissimum*  
BERNHARDVM FRIDERICVM DE SCHADE.

POTENTISSIMI ET CLEMEN-  
TISSIMI

MAGNAE BRITANNIAE REGIS

ATQVE

SAC. ROM. GERM. IMP. ELECTORIS  
BRVNSVICENSIS LVNE-  
BVRGENSIS

INCLYTO REGIMINI

DVCATVVM BREMENSIS

ET

VERDENSIS

INQVE ILLO

VIRIS  
PERILLVSTRI, ILLVSTRI BV S, EXCELLEN-  
TISSIMIS GENEROSISSIMIS,  
DOMINO

DN. PHILIPPO ADOLPHO  
DE MVNCHHAVSEN

CONSILIARIO REGIO STATUS INTIMO ET REGIMINIS,  
DOMINO IN STEINBVRG,

DOMINO  
DN. ENGELBARTO IOANNI  
DE BARDENFLETH

CONSILIARIO REGIMINIS REGIO, SVPREMO PRAE-  
FECTO AGGERVM, DOMINO IN IEVERS-  
DORF ET RECHPE

DOMINO  
DN. SEBASTIANO  
DE LIETH

CONSILIARIO REGIMINIS REGIO, DOMINO IN NIEDER-  
OCHTENHAVSEN, ET PRAEFECTO  
IN BREMERVOERDE,

MAECENATIBVS GRATIOSISSIMIS  
FELICITATEM.





Q. D. B. V.

§. I.



**S**everitate legum rei-  
publicæ salutem tueri, & Maie-  
statem decet, & magistratum  
oportet, vt effrena delinquen-  
tium temeritas compefcatur,  
& improborum publicam tran-  
quillitatem deprauantium libi-

Præfatio de  
cauta anim-  
aduerfione  
honoratio-  
rum.

dini peccandi obuiam eatur. Quid enim reipubli-  
cæ magis conducit, quid magis necessarium est, quie-  
te interna, & statu interno perfrui pacato? quidnam  
vero ad hanc felicitatem viam magis pandit, quam  
bonarum legum rigor? quas si e republica tollas, idem  
est ac si solem ex mundo tolleres, rari quippe sunt  
boni, qui sponte & solo virtutis amore talem insti-  
tuunt vitam, quæ socialitati congrua fit, cum vix  
pœnarum asperrimarum formido & cruciatuum tru-  
culentia sufficiat, ad cohibendos malignorum cona-  
tus. Quamobrem IMPERATOR IUSTINIANVS in *Proæ-*

A

*mio*

*mio Institut. pr. commode differuit, quod contra eiusmodi internos hostes reipublicæ Imperatoriam Maiestatem legibus armatam esse oporteat.* Id quoque vix dubii quicquam habebit, quod legum autoritas, & pœnæ, quibus ad officium subditi rediguntur, non solum ad vulgus pertineant, sed vigor earum ad eos etiam pertingat, qui excelsiori loco constituti sunt: neque eos a legum vi prorsus eximendo, licentiam impune peccandi tribuere possumus, nisi offendere velimus illud IUVENALIS Satyr. 2.

*Dat veniam corvis, vexat censura columbas*

& quod IDEM habet de Romanis Satyr. II.

*Namque ibi fortune veniam damus: alea turpis,*

*Turpe & adulterium mediocribus. Hæc eadem illi*

*Omnia cum faciant, hilares nitidique vocantur.*

Verum ex his ipsis prorsus non efficitur, ac si Superioribus & magistratibus inhumana crudelitas & barbara feritas in subditorum ceruices læuendi, in pœnis statuendis & infligendis, suadenda sit atque liceret, aut quasi officiis eorum, qui summum reipublicæ tenent imperium, congrueret, ac his, quibus illorum vices in gubernanda republica demandatæ sunt, integrum sit, omnibus civium ordinibus ac dignitatum gradibus spretis, summa imis miscere, & quoscunque honorum prærogatiuis conspicuos cum vilissimis & fordidis exæquare. Sint potius isti, qui omnia possunt, memores, quod haud parui negotii & bono publico adprime vile sit, severitatem cum elementia prudente temperatam posse exercere, & eiusmodi legibus ac pœnis vtilitati communi consulere, quæ pro cuiuscunque ordinis aut personarum qualitate ad salutem publicam promouendam sufficiunt,

ciunt, ne hac quoque in re quid nimis. Sint quidem magistratus solliciti, ne legibus mitiores sint, sed etiam ne in earum applicatione digniorum præcellentiam ipsis legibus prudentissime impositam & gradus valorem civium discernentes temere turbent. Habeant sibi familiare CICERONIS *de offic. lib. 2. c. 25.* dogma: *Omnis animaduersio & castigatio contumelia vacare debet; Semper memores sint GREGORII PONTIFICIS instituti, quod Cap. 3. X. de Accusat. refertur his verbis: Illa præpostorum sollicitudo vitilis est, illa est cautela laudabilis, in qua totum ratio agit, & furor sibi nihil vindicat.* Operam itaque nauare debent, vt media semper incedant via, ac inter nimium & parum mediocritatem seruent; de quibus paulo post differendi commodior se offeret occasio.

## §. II.

Non raro tamen iudices hos fines transilire solent, qui, dum iudicia criminalia exercent, aut fastu turgidi ineptissime sese ostentantes & vanam captantes gloriolam, aut ignorantia & imprudentia occæcati, in reos iniuriosi existunt, vbi vel modo procedendi contumelioso, vel dictandis pœnis infamioribus, omnem legitimum personarum respectum negligunt, adeoque dum præ se ferunt, iustitiæ operam dare, quam maxime eius repagula perfringunt. Vt vero iustitiæ speciem induant iniquitati colorem quærunt ex vulgari dicterio, quod ex *lege 1. C. vbi Senat. vel Clariss.* deducunt: *Reatus excludit omnem dignitatem.* Quo illud innuunt, quod in iis, qui ad magistratum ob crimina deferuntur, prorsus nulla dignitas aut dignitatis vestigium attendendum sit, neque in fundando foro, neque in causæ cognitione, neque in pœ-

Scopus dis-  
sertationis.

nis dictandis, adeoque quivis cuius iudici subiiciatur, & omnes pœnarum gradus contra quemvis locum inueniant *Conf. PEREZ in Cod. ad L. 1. de Dignitatibus num. 71. SICHARD. in Cod. ad L. 5. de Dol. mal. num. 11. § ad Authent. Habita. C. Ne filius pro patre num. 13. BRUNNEM. ad L. 1. C. ubi Senat. vel Clariss. LVDOVICI Doctrin. Pandect. tit. de Question. §. 11. ID. Process. crimin. cap. 2. §. 6. MANTZELII Vj. regular. Iurid. quas brocard. appell. Sed hoc modo vix mihi videtur obseruari moderamen istud, de quo §. *anteced.* dictum, admodum tamen necessarium: idcirco præfens institutum est, breuibus hanc regulam sub examen reuocare, simulque demonstrare, quod illa in plerisque fallat. Ideoque imprimis operam dabo, vt elucescat, quemadmodum dignitatem omnem reatus non exuat; ex quibus deinde facile apparebit, quanta huius brocardici vis sit, & quod ista hominum conditio in tantum solum non sit attendenda, ne digniorum delicta maneat impunita, & quantum ei leges vel speciales summæ Maiestatis constitutiones detraxerunt; quod tamen diffusiore tractatione perquirendi, iamiam animus non est. Tota autem præfens disquisitio eo ordine perficietur, vt, præmissa terminorum huius regulæ explanatione, ab initio paucis disseram, quid in hac causa, tum quoad crimina cognoscenda, tum quoad pœnas statuendas, ipsa ratio suadeat: deinde legum positiuarum, quibus Germania vtitur, sanctiones exponam; nimirum non solum quæ Iura Latii iubeant, & ex iis maxime sensum *Legis cit. 1. C. ubi Senat. vel Clariss.* ex qua sibi Icti hoc brocardicum finxerunt, eruam; sed & Canonici Iuris dogmata ac Germaniæ instituta propria tradam.*

s. III.

## §. III.

Per reatum hic intelligi statum hominis ob crimen ad magistratum delati, donec vel eximatur vel absoluitur, vel executio facta sit, aduenientem, ex antea dictis facile liquet. Varii quidem huius vocabuli occurrunt significatus, qui tamen omnes præter eum, quem iam enarraui, huc non pertinent. Sic vti reus, cuius statum reatus exprimit, diuersimode vsurpatur, quod ex CICERONE *Lib. 1. §. 2. de Orat. eod. pro Ligar. pro M. Cæl. in Verrem 4. Virgil. Æneid. 5. 236. FESTO L. 38. D. de Fideiuss. L. 5. D. de Verb. Obligat. L. 134. D. de R. I. L. 34. D. de Solut. L. 3. D. de Accusat. Tor. tit. C. Si reus vel accusat. apparet*: ita quoque reatus varia designat. Inter quos significatus maxime iste eminet, quo conditio reorum criminum denotatur iuxta QUINTIL. *Instit. Orat. 8. 3. L. vlt. D. ad L. Iul. Maies. L. 3. §. 9. D. de Muner. & Honor.* Sed etiam in hac notatione differentia est attendenda: nunc enim indicat externum corporis habitum sordidum, submissamque barbam & vestitum squalidum, quo incedebant illi, quorum nomina inter reos recepta erant *L. 39. D. de Iniur. & famos. libellæ*, tam diu donec omnium sententiis absoluerentur, vti sententiam dicentium misericordiam aucuparentur, quam in rem MARTIALIS *lib. 2. Epigram. cecinit*:

*Si det iniqua tibi tristem fortuna reatum,*

*Squalidus hærebo pallidiorque reo.*

*Conf. CICERONEM 2. Verrin. GELLIVM Noct. Att. lib. 3. c. 4. cit. L. 39. D. de Iniur. & L. 15. §. 27. eodem. CVIACIVM ad hunc §. lib. 6. Obseru. 5. Dum autem de reatus comparatione cum dignitate, & quatenus hæc per illam non exstinguatur sermo sit, palam est me sub vocabulo reatus magis de qualitate, morali quam isto externo*

terno cultu, esse sollicitum. Deinde alio sensu, & quidem plerumque, isto verbo ita vtuntur, vt eo quidem etiam qualitatem moralem reorum criminis designent, sed vt illam his cancellis includant, nimirum vt ille status tantum comprehendatur, in quo delatus propter crimen est, post accusatorum inscriptionem, fideiussiones, interrogationes, excussas præscriptiones & ius accusatoris, & cognitionem inter accusatorem ac reum a iudice susceptam, a litis contestatione *L. 8. & 10. D. de Public. Iudic. ibique GOTHOFREDVS L. 3. & 20. D. de Accusat. & Inscript. CUIACIUS EX CICERONE, PLVTARCHO, HALICARNASSEO, ASCONIO PEDIANO, TACITO, Obseruationum lib. 20. Obseru. 11. & 21. vsque dum cognitio finita sit vel condemnatione, vel absolute, vel exemptione, his vltimis casibus liberatus iterum, primo vero condemnatus est, quod liquido docent *L. vlt. D. ad L. Iul. Maiestat. L. 25. pr. D. de Penis. BVSIVS Comment. ad Pandect. ad banc. leg. CORRAS. 2. Miscell. c. 20. ALCIAT. 2. Paradox. c. 19. CUIACIUS cit. Obseruat. 21. lib. 20. qui ideo differit: Crimen inchoatur litis contestatione, perscitur damnatione. Idem Icti hodierni de iure Germanico existimant, qui verba *Conf. Crim. Car. den. Beflagten annehmen* eodem modo interpretantur, ita vt etiam in processu inquisitorio is, qui ad magistratum delatus est, demum post litis contestationem seu, quæ eius vim habet, responsum ad articulos inquisitionales dicendus sit Inquisitus, & reatus effectus in eum redundent. vide *BEVERVM ad C. C. C. art. 6. & 7. n. 5. Conf. BORN. ad Ius unia. disp. 1. th. 47. lit. a.* Sed istam significationem hoc loco paulo angustiorem esse, constat ex iis, quæ §. 2. accepimus de sententia Ictorum, quam hoc dictione pro-**

produnt, imo etiam ex ipsa *cit. L. 1. C. ubi Senat.* Nam cum ibi satis clare asseratur, reatum efficere vt delatus frustra ad fori priuilegium prouocet, vt quiuis delinquens cuiuis subiciatur, priuilegium fori autem ante litis contestationem discutiendum fit: per iam dicta patet, reatum iam esse ante litis contestationem. Præterea quoque cum sæpe post rei condemnationem, circa executionem sententiæ, quæstio de effectibus vestigiorum condemnati pristinae etiam dignitatis moueri possit. Hac de causa latiore esse reatus ambitum, & statim a delatione, ad magistratum, siue per accusationem siue per inquisitionem incipere certum est: maxime ordine pristino iudiciorum capitalium exercendorum iam olim extincto, ceu PAVLVS docet *L. 8. D. de Accusar. & inscript.* vt itaque iudicia publica ab accusatione & recentiori lure Germanico etiam ab inquisitione ordiantur BVSIVS *ad cit. L. 8. MENOCH. de Præsumt. lib. 1. 88.* atque inter reos relatus quis etiam antelitis contestationem dicatur CUIACIVS *lib. 20. Obseru. 21. in fin. adde c. 10. X. de V. S. quin Const. Carolina Crim. sæpe verbum annehmen hacce latiori significatione vsurpatur, vtpote art. 15. und was also durch Annehmung des Beklagten durch Klage x.* Ideoque in hac causa sub reatu statum comprehendi necesse est hominis simul ac ad magistratum delatus est, isque delationi annuit, delatio enim cum effectu intelligenda est, grammatico tamen magis, quam iuridico significatu quem HOTOMAN. *Coment. verb. iuris.* exposuit. Quod vero per absolutionem vel exemptionem reatus extingatur, probatione non indiget, de quo etiam conferendi sunt CUIACIVS & reliqui *iamiam laudati.* Dictum quoque fuit, rei conditio-

nem

nem etiam post condemnationem aliquomodo considerandam esse; maximam partem tamen eius status tum ante condemnationem tum in ipsa condemnatione seu pœna per sententiam dictanda spectabitur.

## §. IV.

De dignitate,  
eiusque fundamento.

Videndum ergo nunc quoque, quid sub dignitate intelligatur: quæ hic denotat existimationem externam intensiuam ex lege ciuili alicui aduenientem. Et si quidem inconstantes dubii & varii significatus huic voci obtigerint, ita vt per tropos & figuras in legitima etiam scientia nunc hoc nunc illud exprimat, vti vel maxime videndum est ex CICERONE *Lib. 2. de Inuent. L. vnic. C. de Infamib. L. 13. D. de Decurion. & ACCVRS. ibid. Commentatoribus ad L. 1. C. vbi Senat. & Tot. Tit. C. vt Dignitat. Ordo seruet.* HOTOMAN. *Comment. Verbor. Iur. CVIACIO. lib. 20. Obseru. vlt. BRUNNEMANNO ad L. 1. C. de Dignitat. Gloss. in cap. quia X. de Cleric. non resid. GARDIN. in Clement. Auditor. de Rescript. num. 9.* Hi tamen omnes ad me hoc loco non spectant, quod ex §. 2. iterum patet, quum proverbii sententia aliud suadeat, quod de præstantioribus ciuibus agit: nisi quod interdum, ob paritatem rationis aut alio quodam argumento, aliquando istam significationem simul respiciam, qua in *cit. L. vnic. C. de Infam.* pro fama simplici occurrit. Existimatio autem, quod tantum in transitu moneo, est iudicium de valore i. e. quantitate morali personæ, & quidem sui ipsius, quæ dicitur interna, vel aliorum de aliis quæ externa nuncupatur *vid. THOMAS. diff. de Existimatione, fama & infam. §. 10. seq. PVENDORF. Iur. Nar. & Gent. Lib. 8. c. 4. §. 1.* Vtraque est vel simplex vel intensiuam: illam iudicium de simplici valore seu quantitate, adeoque bonitate quali-



qualicumque, nimirum obseruantia regularum iusti tantum esse *ex cit. autoribus* discere, hæc consistit in iudicio de præstantia alicuius præ reliquis simplici valore gaudentibus; adeoque de bonitate maiore morali seu virtutibus reliquis moralibus tum internis, seu regularum honesti obtemperantia, tum quæ amoris declarationem per beneficia siue decorum continent *vid. THOMAS. cit. diss. §. 13. & 49. & PVENDORF. cit. cap. §. 2. II. & 13. contra HOBBSIVM disputantem.* Quorsum collineant quæ CICERO *cit. loc.* tradit, dignitatem esse honestam alicuius auctoritatem & cultu & verecundia & honore dignam. Sed hæc quidem in statu naturali ita sunt, ius imperfectum tantum ad iudicium eiusmodi aliorum de nobis tribuentia; & sine coniuncta potentia & beneficiis raro effectum externum honoris habent. *vide HOBBSIVM Leviath. cap. 10. & de Cive cap. 15. §. 9.* attamen cum animaduersione PVENDORFII *cit. cap. 4. §. 13. & THOMASII diss. §. 61.* Quoniam vero dignitatem cum reatu conferre animus est, reatus autem in statum naturalem non cadat, de dignitate differenti cura esse existimationem in statu civili & maxime quæ perfecto iure ibi debetur, in aprico est, eamque sub initio *huius §.* dignitatem perficere dixi. Existimatio igitur in civili statu, iure perfecto debita, est iudicium lege declaratum de præstantia cuius præ reliquos simplicis famæ: adeoque de virtutibus maxime beneficis in rempublicam. Quemadmodum enim alias quæ lege imponuntur, reipublicæ salutem respicere debent, & iterum, quid ad hanc faciat, non pendet ex singulorum arbitrio sed a Maiestate, ita quoque in præstantia cuius præ reliquis determinanda leges salutem ciuitatis non singulorum considerant, nec

B

ipsum

ipsum hoc iudicium priuatorum sed legislatoris est. Cumque naturalis existimatio externa intensiua requirat virtutem honesti & decori, attamen ab aliis præcipue iudicetur ex instrumentis quibus beneficia in alios conferuntur: pariter legislatoris officium est, vt in ciuium excellentiori valore æstimando iuxta cuiuscunque reipublicæ formam & statum dignitatem collocet, tum pro instrumentis & ornamentis egregiis, quibus virtutem in salutem ciuitatis beneficiis eminentioribus exercendi, quis magis pollet & securum quæ maior vtilitas in rempublicam redundare speratur, tum pro ipsius virtutis præsentia, quo pertinent verba *L. penult. §. 1. D. de Decurion.* quemadmodum *CVIACIUS* ea restituit *lib. 20. Obseru. 40.* *Dignitas certa spes eius honoris, scilicet bene gerendi, & quod LACTANTIUS* scribit: *Nemo egregius, nisi qui bonus & innocens fuerit: nemo clarissimus, nisi qui opera misericordie largiter fecerit: nemo perfectissimus, nisi qui omnes gradus virtutis impleuerit.* *IOANN. BODIN. de Republ. lib. 5. cap. 4. p. m. 853.* Iudicium tamen semper, vt in aliis negotiis, ita & hac in causa a sola Maiestate pendet, quid ad salutem reipublicæ faciat, quid ei magis conducat, quæ ornamenta & instrumenta virtutum & quæ virtutes maius & quantum adferant emolumentum, quis quibus & quantis virtutibus instructus sit: *HOBBSIUS Leuiatib. cap. 18.* quam incongruum autem sit, si a priuatis in republica existimatio dependere debeat, deduxit *THOMASIVS diff. de Iudic. Censor. Morum.* Neque negandum esse puto, quod legislatoribus in hoc iudicio ferendo haud raro idem accidat, quod in populo Romano reprehendit *HORATIIVS lib. 1. Satyr. 6. v. 12.*

Contra

*Contra Læuinum, Valerî genus, vnde superbus  
 Tarquinius regno pulsus fuit, vnus assis  
 Non vnquam pretio plus licuisse, notante  
 Iudice, quem nosti, populo: qui stultus honores  
 Sepe dat indignis*

& quæ ab ANTISTHENE Atheniensibus olim sunt exprobrata apud DIOGENEM LAERTIVM *lib. 6. vide PVFENDORF. I. N. & G. lib. 8. c. 4. §. 23.* cum sæpe loco genuinæ salutis reipublicæ ea, quæ ad maius detrimentum ei vergunt, adamant, iniquum aut saltem apparens bonum pro bono vero habeant. At non minus e contrario perpendendum est, quod præsumendum omnino sit, Maiestatem ea, quæ ad officia eius spectant, probe obseruare, & ipsam illam ita videri velle & debere, constat, & rationi conforme est: neque legislatoris actiones subditorum iudicio subiacent; deinde nec subditis conuenit media salutis reipublicæ determinare; imo iam dictum est, populum non melius hac in re agere: & tandem considerandum, quod si Maiestas in vno alteroue officio suo deficit, non exinde subditis detur potestas ea, quæ iure tamen disposuerit, impugnandi aut rescindendi. Adeoque cui legislatoris iudicio eminentior valor obtigit, ille eodem modo a subditis quoad effectus externos inde pendentes æstimandus est. Et quem Superior excelstore loco collocat, ac dignitatum prærogatiuis exornat, iisque dignum iudicat, eum quoque subditi pro digno habere tenentur, & in frui-tione iurium inde pendentium, vtpote exercitio officii, ad quod constitutus est, & externi honoris perceptione aliisque emolumentis ipsis officere, fas non est. Licet id quoque certum sit, internum cuiuscun-

cunque iudicium de alterius virtutibus & præstantia huic obligationi obnoxium non esse, quod vix quisquam impetrabit sine actuali virtutis præsentia aut certe beneficiorum exhibitione per eiusmodi instrumenta, quibus hominum animos præcipue nobis conciliare & deuincire possumus. Imo imbecillitati humanæ dandum aliquid est, si iudicium de alterius vera eminentia forsan quis prodat, cum non statim hinc elici possit contemptus Maiestatis aut denegatio iurium ab hac collatorum, si quis ex animi sententia dicat, quanti ex suo iudicio hominem æstimet, atque aliud est iudicare de reali excellentia & actuali præsentia causarum existimationem externam intentionem naturaliter demerentium, aliud vero præsumptiuam bonitatem ex lege aduenientem eiusque effecta denegare, aut Maiestati reniti. Quæ multo magis vera sunt, si tale priuatum iudicium tantum concernat reliquas personæ qualitates, quæ istum locum & officium, intuitu cuius dignitas ipsi obtigit, non concernunt, aut si eius, vel ex pacto cum Superiore, aut ex ipsius concessione per ius præsentandi vel consulendi, interfit, ne facile indignus promoueatur, & ne quid sub & obreptitie impetretur, tunc enim quæ proferuntur antequam de serua eius voluntate constet, pro tali contemptu haberi nequeunt. Præsertim cum pauci sint qui etiam dignitatibus aliorum verissimas suis virtutibus nisi debitum exhibeant cultum, si non spe lucri ad laudes hypocriticas aut ad præsentium honorem mali formidine incitentur. E contrario postquam demum de vera & serua legislatoris voluntate constat de dignitate collata, dubium mouere non licet, eiusus externos effectus denegare;

re; quidquid enim ex legis cuitatis præscripto alicui competit, iure perfecto ab aliis exigi potest, quod si lædatur, non solum remedia coactiua competunt, sed iniuriam licito modo vindicare fas est, quemadmodum etiam reliquis iam memoratis in casibus ab iniuriis & contumelia abstinendum est; quin, facile ipsius Superioris contemptus indirecte, non tamen semper committitur. Quali modo intelligenda est *L. 3. C. de Sacrileg. juncta L. 5. C. de Divers. Rescript.* quæ præterea etiam tantum de sacrilegio valde improprie dicto loquuntur & cum quadam comparatione. *vid. CORVINVM A BELDEREN Comment. in Cod. tit. de Sacril.;* quod aperte indicant vtriusque constitutionis verba: *instar sacrilegii est.*

## §. V.

Nunc facili negotio iudicabis, an generalis illa acceptio brocardici cum recta ratione consentanea sit nec ne, dummodo ea, quæ §. 2. 3. 4. dicta sunt, curatius inter se conferas. De quo vt melius constet, pauca ex his promanantia adferam. Equidem qui non dum iuxta legum positiuarum sed rectæ rationis normam rem discutiam, duplex mihi videtur instituenda contemplatio, nimirum quænam Principis, deinde quænam magistratuum sint partes. Principis & Maiestatis ad sollicitudinem hac in re quid pertineat, ex iusti regulis vix aliquid determinare poteris; quemadmodum enim fons dignitatis ciuilibus sola Maiestas est, & ex eius iudicio vnice dependet, quem, ad honorum fastigia vt euehatur, dignum iudicet, pari modo iterum eius est æstimare, indignus an quis, quantumue cuiusdam intensio famæ restringenda sit, vtique contra ordinariam iuris normam alias excipere

De officiis  
Maiestatis in  
cognoscendis delictis  
digniorum.

ipsi integrum tam vt grati quam vt ingrati quid priuilegiato accedat, ita quoque hic odiosum priuilegium statuere licet. Cum tamen officium Principis sit omnia componere ad salutem reipublicæ: ita quoque certum est, quod omnino etiam in eripienda aut minuenda dignitate ob reatum, etiam officia ante oculos habenda, eaque tam quoad causæ cognitionem quam quoad pœnam obseruanda sint. Nempe sicuti certum est & ex antea dictis fuit, dignitatem virtuti tribuendam esse; & tributam esse ad minimum, præsumtio est, atque sicuti ambigere non licet, quod ad reipublicæ salutem promouendam plurimum conducat, vt inter alia præmia virtuti dignitas cedat, quo alii ciues ad imitationem incitentur, adeoque ista eminentia temere apud indignos collocanda haud sit, ne euileseat: sic etiam sequitur, eam non sine prægnante ratione eripi debere, quæ saltem iusta de causa concessa est, aut concessa esse certe præsumenda est, alias enim pariter flocci penderetur: cum paucos sectatores habeat, cuius iactura omni momento metuenda & ex solo alterius arbitrio pendet absque culpa eius, qui hanc iacturam facit. Quin maiore cautione hæc vel ideo opus habent, quod in ciuitate dignitatis minutio aut priuatio pœna existimatur. Sed sola personæ delatione ob crimen quod ipsi exproratur, sine causæ cognitione, pro sufficiente ratione priuationis censi non potest: quod probatione non indiget, vbi satis notum est, quam falsis fundamentis delationes & ipsæ accusationes sæpissime nitantur, & tamen, indicta causa, detrimentum delatus incurrat. Ex quibus simul efficitur, esse e reipublica, vt ordines dignitatum seruentur, quos  
 tamen

tamen subditi mox despiciere solent, si a Superiore ludibrio habeantur. Ipsi huic ordinum conseruationi valde inferuit, eorumque autoritatem conseruat, honoribus conspicuos non cuiusque iudici cum vilioribus æqualiter vel ipsis inferioribus subii-cere, si aliquid admisisse dicantur. Deinde si cum officiis Maiestatis haud conueniat, exuere aliquem præcellentia sine ratione sufficiente; multo magis operam dare debet, vt causæ, quarum quis insimulatur, non solum antea assidue cognoscantur; sed præterea etiam circumspectat de ipso modo cognoscendi, ne per omnia secundum eandem leuem sæpe & contumeliosam normam, iuxta quam viliorum delicta tractantur, itidem eminentiorum facta discutiantur: namque ob animi leuitatem illis sæpe eiusmodi media adhibenda sunt, quæ iis etiam adeo magnum detrimentum non afferunt: ast maior præsumtio integritatis est pro digniore ex præsumta virtutum præsentia, quæ ex ipsa eminentiæ collatione colligitur; & media aliis non probrosa sublimioribus maiori sunt contumeliæ, atque pro ipsis pœnis. Quoniam autem raro Supremus ipse delicta perquirat, curæ cordique ipsi sit, ne illi, quibus causæ cognitio indulgetur, hos fines transgrediantur, sed potius secundum hæc mediis peruestigandi admissa excellentiorum modum prudenter dicat.

## §. VI.

Eadem cautione in pœnis dictandis opus est, De officiis  
 circa quas ab initio notandum est, quod in statu ci- Maiestatis in  
 uili dignitatem non quæuis vitia statim adimant; puniendis  
 quemadmodum non ob quascunque virtutes, quin delictis di-  
 gnio. um.  
 sæpe tantum ob instrumenta virtutum eminentia  
 confer-

confertur. Vicia potius raro animaduersionem in foro externo admittunt. Neque sequitur, quod eius, quod præmiis ornatur, contrarium pœna coercendum sit; pro qua etiam dignitatis, in ciuitate semel acquisitæ, detrimentum habetur: ideo enim præmiis ea excitantur, quorum contrarium pœnis cohiberi non commode potest. Vix igitur dignitate quis priuandus, nisi aliquando ob delicta, aut talia vicia, quæ officio commisso aduersantur. Sit ergo & hac in re suprema potestas officii sui, ac clementiæ, imbecillitatis humanæ, & diuersitatis graduum dignitatum memor. Quem in finem PVENDORFIVS *I. N. & G. lib. 8. cap. 3. §. 7.* audiendus est, inquit: *Falsum est, quælibet peccata ita deformare hominis dignitatem, vt ob ea peccata statim velut inter bestias sit referendus. Conf. HERTIVM ibid. lit. b.* Præterea legislator generales regulas, secundum quas delictorum pœnæ definiendæ sunt, hoc loco sedulo applicet, ita vt ipsa conditio honorifica rei etiam in pœna futura & dignitate adimenda consideretur. Nam talis pœna præscribenda est, quæ ad finem & quidem, si fieri possit, vtrumque tam delinquentis quam ciuium emendationem sufficit, si itaque minor sufficiat, minor, si non, maior pœna statuenda est, quod apte suadet *SEXTVS CAELIVS apud GELLIVM Noct. Att. lib. 20. c. 1.* atque iisdem pœnis alii magis alii minus commouentur; eademque aliis minus commodæ sunt, PVENDORF. *cit. loc. §. 25.* & grauiorem incurrunt ignominiam. Exinde porro id attendendum est, quod in ipsis pœnis simplicem famam extinguentibus gradus infamiæ sint, sicuti ipsa infamia leuior aut deterior est; qua de causa variis gentibus variæ pœnæ ipsæ etiam corpus affligentes & vltimum supplicium



plcium continentēs magis infamantes existimantur, de quibus *BODIN. de Republ. Lib. 5. c. 4. p. m. 854. ibique citat. PLVTARCHVS & PVENDORF. cit. loc.* agunt & mihi infra differendi occasio dabitur: at opinioni hominum in pœnis plurimum indulgeri, per se clarum est. Tandem ex §. *anteced.* repetenda cura, ne digniorum eminentia & autoritas officiorum publicorum detrimentum capiat, dum plebs insipida quæ in persona accidunt, ordini facile tribuit. At hæc omnia offēdes diuersa esse in honore præstantiorum maleficiis puniendis, a viliorum coercitione; quoniam magis est dignitate præditum esse, quam simplici fama gaudere: ergo magis est vtraque exui quam hactantum, imo pœnæ, quæ simplici existimationi nullum afferunt detrimentum, dignitati valde officiant: absurdum itaque esset eandem pœnam cuiunque imponere. Sic etiam in honoratioribus ad iniquitatem reprimendam, eosque commouendos, ea plerumque sufficiunt, & acerbiora iudicantur, quæ vulgus parum curat: quemadmodum illis sola obiurgatio & increpatio grauissima est, Phryx vero non nisi plagis emendatur. Mitto, quod plures iam notarunt, famæ tam simplici quam intensiæ priuationem sæpe, pro status ciuili qualitate, obesse emendationi peccantis, qui vel cogitur quasi, vel incitatur vt grauiter peccet. Non ne ex his efficitur? quanta in ipsis pœnis corporis afflictiuus & capitalibus suppliciis diuersitas attendenda sit, vt & ipsum mortis genus, si ista seueritate in honestiores animaduerti debeat, in aliud non ita famosum aliquando mutandum sit. Non inepte *BVDDEVS Elem. Philosoph. pract. part. 4. cap. 6. §. 2. & cap. 7. §. 12.* suadet, vt legulator tales excogitet pœnas,

C

que

que honoris speciem habent, & adeo contumeliosæ non sunt, sicuti quoque quod pœnarum excellentioribus dictarum executio non in conspectu totius plebis fiat. Ac quomodo conditio hominis, ad ignoscendum & pœnam temperandam, proficit, docet PVFEND. cit. c. 3. §. 17. Quod quoque delinquentis familiæ ratio habenda sit, vel inde saltem patet, quod moribus corruptis in innocentes necessarios contumelia non raro redundet.

## §. VII.

Quid Magistratum oporteat observare circa honorationem criminatæ?

Quid igitur de magistratibus dicendum? Non opus est, ut de istorum officiis peculiarem sermonem prolixum instituum; sed ea omnia quæ his §§. ameced. dicta sunt, ipsi maiore sollicitudine observare tenentur. Quemadmodum enim ex horum arbitrio dignitas non dependet, sed tam eorum quam reliquorum subditorum contemplatione eminentia splendidis honor & reliqui effectus perfecto iure debentur: ita etiam sequitur, iis minime licere, his honoribus præstantiores defraudare, sed quæ de officiis summæ Majestatis tradita sunt, magistratum oportet necessario & tanquam leges atque ex iis conclusiones observare. Idque non solum tunc locum habebit, ubi de delictis agitur, quibus lege nulla certa pœna definita, sed ius dicentis arbitrio relicta est; verum & tunc observandum, ubi de criminibus certa & definita pœna notatis tam cognoscendis quam diiudicandis ac iudicatis exequendis tractatur. Namque illo casu arbitrium iudicis non prorsus est liberum, sed legum principii & iuris analogiæ adstrictum: hoc vero casu, generales leges ita sunt accipiendæ, ne specialibus vis fiat, a quibus exceptionem patiuntur, nisi legislator aliud dixerit: ubique præterea & ratio legis & circumstantiæ

tia

tia facti applicationem saepe variant. At dignitas a legislatore imposita, indeque nata præsumtio virtutis lex & præsumtio iuris est subditis, adeoque etiam iudici, quam si spernat, iniuriam facit. Ne tamen temere dixerim, tradita analogiæ iuris conuenire, tantum binas adferam obseruationes. Nimirum fama simplex, qua quisque non improbus, non tamen in dignitate constitutus, supponit & indicat ciuem alicuius valoris, etsi minimi, adeoque non improbum, & inde quilibet integræ famæ bonus præsumitur, donec demonstretur contrarium. Dignitas vero adhuc maiorem valorem indicat, qua non ii statim ornantur, qui alicuius sunt valoris, sed supponit virtutem, eiusque indicium & præsumtionem facit. Inde colligendum est, longe maiorem præsumtionem bonitatis militare pro honore præditis. Sequitur porro, quod non solum contrarium probari debeat, sed quod hæc probatio longe grauior debeat esse, certum enim est in Jurisprudencia, quod, quo maior præsumtio sit, tanto vrgentiores ad eam elidendam requirantur probationes. Huic iterum congruum est, quo maiori quis præsumptione munitus est, eo leuiore probatione opus est, ad fulciendam præsumtionem per reprobationem. Hinc pro digniore etiam in criminalibus leuiores admittendæ sunt probationes, pro innocentia defendenda, & ad indicia alias grauiora amolienda. Iterum illud probe considerandum est, quod quo maior dignitas alicuius sit, eo magis abstinendum a remediis iniuriosis, quoniam eo maior illi infertur iniuria, si innocens fuerit. Imo infertur iniuria, cui dignitatis effectus pleno iure debiti auferuntur ante condemnationem, cum reuera luat pœnam

nam ante conuictionem & sententiam, quod ideo adhuc durius est, quum supra *s. anteced.* demonstratum sit, nec omnino quamlibet sententiam condemnationem omnem extinguere famam intensiuam. Et hoc in tantum verum est, vt nec ipsa simplex fama ante sententiam eripienda sit, nec semper per sententiam omnino eripiatur, siue famam naturalem siue civilem respicias. Verum ab iis, qui vulgarem fouent sententiam, insigniter confunditur existimatio simplex cum intensiua & vtraque tam interna quam externa ac iterum naturalis atque civilis nec non vtriusque existimationis quin & infamiae gradus. *Conf. THOMAS. cit. diss. de existimat. fam. & infam.* Neque his obstabit, quod forsan dissentientes obmouere possunt, quod hic a me in tantum bonitatis & virtutis praesumptio euehatur, cum tamen nemo moraliter bonus praesumatur & beneficus, eaque bonitatis praesumptio tantum concernat istam bonitatem, qua quis ab aliorum laesione abstinet, ne scilicet malus & alios laesurus praesumendus sit. Haec enim ex dictis *s. 5. 6. 7.* iam iam corruunt: aliud nimirum est, praesumi moraliter bonum secundum existimationem ab aliis imperfecto iure debitam, de qua obiectio valet, aliud vero civiliter postquam dignitas ex Maiestatis praescripto & impositione alicui obrigit, quae vult vt dignitate praeditus externe ita habeatur, ac si bonitas adsit *s. 4.* Praeterea etiam aliud est, quod praesumatur aliquis, ac si factus sit bonus: aliud vero, si semel bonitas adsit, praesumi, quod ea non sit amissa, sed retenta. Verum haec sufficiunt ad diiudicandum, quod diciturum vulgare rationi non consentaneum sit.

*s. VIII.*

§. VIII.

videndum ergo nunc etiam, quemadmodum cum traditis legum positiuarum in Germania vigentium sancita conueniant, aut ab iis discrepent, vbi quidem per omnia egregiam consonantiam cum dictis deprehendes. Et quidem prius dispicere licebit subsidiari iuris Romani dogmata. Etsi quidem patria iura tanquam primaria regula priori loco tradenda sint, nihilominus morem geram illis, qui nihil recti esse putant, quod ex Latii institutis non proficiscatur: cuius rei vel ideo veniam impetrabo, tam quod disceptatio mea frustranea videatur, si subsidiari iuris Romani dispositione a nobis recepta dictionum hoc niteretur, quam quod ipsum hoc prouerbium ex Latii iure ab omnibus deriuetur, qui vnicum praesidium totius huius regulae collocant in saepius allegata. *L. 1. C. vbi Senat. vel Clariss.* Agedum, ipsam hanc legem accurata mentis lance perpende; meo iudicio nihil doctrinae meae contrarium in hac lege inuenies, sed potius mea sententia aperte ex ipsa hac lege deriuabitur, cui reliquae leges omnes luculentissimo testimonio suffragantur. Verba *legis cit.* ita se habent: *Quicumque non Illustri sed Clarissima dignitate tantum praedius virginem rapuerit, vel sine aliquo inuaserit, vel in aliqua culpa seu crimine fuerit deprehensus: intra prouinciam in qua facinus perpetravit, publicis legibus subiugetur, nec fori praescriptione utatur. Omnem enim huiusmodi honorem reatus excludit. Dat. 2. Non. Decembr. Gallicano & Basso Consf.* Lex per se sat perspicua est, vt interpretatione, vix opus sit, nodum in scirpo quaerere: quum tamen omnes prouerbii fautores ad hanc legem prouocent, paucis eam considerabo,

C 3

&amp;

Quid Ius Iustinianicum  
hac in causa  
constituerit  
& maxime de  
*L. 1. C. vbi Senat. vel Clarissim. &c.*

& sic sensum huius sequentem in modum expono. Nimirum id obserua: quemadmodum antecedentes tituli *lib. III. Cod.* pariter ac *hunc eiusdem libri titulum XXIV.* (cuius est lex explicanda,) sequentes materiam de foro competente exhauriunt, ita quoque totus *titulus XXIV.* eam rem comprehendit; qui præcipue id agit, ut eorum, qui in maiore dignitate constituti sunt, forum describat, quod ipsa *tituli rubrica* his verbis: *Vbi Senatores vel Clarissimi civiliter vel criminaliter conueniantur,* & omnes tituli leges indicant. Erant enim Romanis dignitates aliæ maiores, mediæ & minores: ad maiores pertinebant illustres, spectabiles, clarissimi, quæ eleganti ordine recenset MAGNIFICVS ATQVE ILLVSTRIS ACADEMIAE PRORECTOR DOMINVS GASSEVS *Prælection. in Cod. Tit. de Dignitat. §. 1. & Tit. Vbi Senator. §. 2.* ISIDOR. *lib. 9. Etym. c. 4.* GVTHER. *de Offic. Dom. Aug. l. 1. c. 4.* Maiori hac dignitate præditorum forum competens hoc *tit. XXIV.* tractatur, ita scilicet ut *Lege 1.* explicetur, vbinam Clarissimorum causæ criminales cognoscendæ sint, *Lege 2.* Senatorum forum in causis civilibus propositum est, *Lege 3.* tandem cauetur, cui Illustrium crimina cognoscendi & diiudicandi potestas competat, quibus rebus totus titulus absolvitur. Si harum dignitatum maiorum conditionem scire aues, confer præter *laudatos, L. 2. Cod. Quand. mulier. L. vnic. C. de Annon. L. 5. C. de Proxim. sacror. Scrin.* BRISSON. *de V. S. HOTOMAN. Comment. de Verb. Iur. GOTHOFRED. ad rubr. C. de Tutor. vel Curat. Illustr.* CORVIN. A BELDEREN *ad Cod. Tit. vbi Senat. vel Clariss.* ex quibus patet, Senatorum seu, qui in senatu sententiam dicere possunt cum dignitate, triplicem fuisse Ordinem, nempe Clarissimorum, Spectabilium &

& Illustrium: illi in specie nominantur, Prætor Urbanus, Præsides prouinciarum, Magistri census, Silentarii & Aduocati, isti Præfectus Augustalis, Comes orientis, Proconsules & Vicarii, Duces Tribuni & Notarii, Magistri Scriniarum, Comites sacri Consistorii, domorum Scholarum, hi Præfecti vrbi, Quæstores, Magistri militum, Magistri officiorum, Comites rerum priuatarum, Comites domesticorum, Principes agentium in rebus. *vid. ILLVSTREM DNVM GASSERVVM cit. loc. b. t.* Sæpius autem Clarissimorum nomen ita vsurpatur vt Spectabilibus æquale sit *cit. L. 5. Cod. de Proxim. sacror. scrin.* sæpius etiam generaliori sensu, vt & Illustres comprehendat, vti & in ipsa hac rubrica tituli nostri conf. TIRAQVEL. *de Nobilitate c. 8. n. 16. ibique relatam inscriptionem ex BARTOLOM. MARLIANI Topograph. vrb. Rom. lib. 2. c. 10.* Hæc sufficiant præmonuisse in genere de intentione nostræ legis, & de quibus dignitatibus tractet. Specialiorem explicationem quod attinet, nihil aliud prorsus in ea continetur, quam determinatio fori in criminibus Clarissimorum in sensu strictiori, ita nempe, vt tantum denotentur Clarissimi in specie ita dicti & Spectabiles, non vero simul Illustres, qui expressis textus excipiuntur verbis his: *Quicumque non Illustri sed Clarissima tantum dignitate præditus &c.* & de quibus *L. 3. separatum* postea agit. Istis ergo Clarissimis *L. 1.* forum assignauit, in quo si in prouinciis deliquerint, ob crimina quædam contueniri ac puniri debeant. Etsi enim alias inter priuilegia, quibus ornati erant, fori quoque priuilegio gauderent, criminibus tamen in prouinciis sese contaminantibus Clarissimis hoc priuilegium aliquomodo ademptum est, & subiecti sunt animad-

animaduersioni Præsidis eius prouinciæ, in qua deliquerunt. Namque cum, post Tarquinos eiectos, potestas crimina ciuium Romanorum cognoscendi & puniendi valde restricta esset, fieri vix poterat, vt non tandem libertas hæc in effrenam degeneraret licentiam, sed ea tam immanis euasit, vt potentiores, potentia opibus & licentia abutentes, stupris violentis raptu virginum, viduarum & mulierum ac violentis inuasionibus omnia deuastando, scelere prouincias implerent, quod vel *titulus Cod. de Vi Publ. vel priuata* & præsertim *L. 10. & Tir. de Raptu Virginum* quin & præsentis tituli inscriptio demonstrant. Hisce flagitiis late grassantibus iam variæ leges Iulia maxime obuiam iuere, CONSTANTINVS M. autem præcipue potentiorum temeritati & libidini frenum iniicere studuit, ne potestate sua ad interitum reipubl. abutantur, quem in finem *L. 1. C. Theod. de Accusat. & Inscription.* promulgauit, qua constituit, vt quicumque clarissima dignitate quauis præditus talia in prouinciis patrauerit facinora, ibique deprehendatur, eiusdem prouinciæ Præsidis cognitioni & iudicio subiugari debeat, non concessa exceptione fori privilegiati, quod alias competeret. Qua constitutione CONSTANTINVS voluit, vt in materia fori quoad delicta ista grauiora omnis dignitas senatoria prorsus non attendatur, nulla graduum eminentiæ distinctione facta, ne forsan fori privilegio & locorum distantia ab vrbe vel domicilio digniores legum sanctimonia eludant, ac scelerum impunitatem quærant, præsertim cum prouinciæ distitæ potentiorum criminibus hisce sæpe inquietarentur, qua re etiam hæc lex ad Hispaniæ Comitum data est. Hæc crimina vero non solum



solum aliæ post CONSTANTINVM leges vindicant, si-  
 cuti Imperatorum VALENT. THEODOS. & ARCADII con-  
 stitutione *L. 3. C. ad L. Iul. de Vi publ. vel priuar.* tam in  
 seruos quam in dominos, hosque tam digniores quam  
 viliores pœna cuiuscunque conueniens sancitur, & *L.*  
*10. eod.* Imperatores LEO & ANTHEMIVS eum in finem  
 Bucellarios, Isauros armatosque seruos per ciuitates  
 & agros habere, seuerissime interdixerunt: atque de  
 raptu virginum vel viduarum inter alias sanctiones  
 IVSTINIANI *Lex Tot. Tit. C. de Rapt. Virgin. seu viduar.* co-  
 ruscant. Verum pari sollicitudine Imperatores CON-  
 STANTINI successores cauerunt de foro, in quo po-  
 tentiores, præcipue in his, imo & in aliis criminibus  
 conueniendi & iudicandi sint. Nempe Imperator  
 ZENO in *L. 3. C. vbi Senat. vel Clariss.* CONSTANTINIANÆ  
 constitutioni iam iam expositæ in eo derogauit, *vid.*  
 ILLUSTR. DNVM GASSERV *cit. loc.* vt Illustres denuo fo-  
 ri priuilegio donaret, siue in Imperatoriæ sedis vrbe  
 siue in prouinciis deliquerint, in tantum, vt ipse Im-  
 perator cognitionem sibi soli reseruauerit, aut ei, cui  
 causam commissurus sit, quem sacrum cognitorem  
 dicit, cuius tamen potestatem arctis limitibus cir-  
 cumscripsit, vt absolueret quidem, condemnare ve-  
 ro non possit; sed ad ipsum Imperatorem crimen pro-  
 batum referat; Illustrium honorariorum crimina in  
 vrbe Præfectus Prætorio, vel Præfectus vrbi, vel ex  
 iussu Principis Magister Officiorum, in Prouinciis  
 Præsides cognoscere, sed in conuictum nihil statuere,  
 iussi sunt. Postmodum hac ratione CONSTANTINIANA  
 sanctio *cit. L. 1. Cod. Theod.* inserta est Codici IVSTINIA-  
 NEO & hanc *Legem 1. vbi Senat. vel Clariss.* efficit; ita ta-  
 men, vt hæc nostra *L. 1. CONSTANTINI* statutum, a  
 D compli-

compilatoribus aliis verbis reſectis aliis iterum interpolatis, mutatum referat; quo cum dicta conſtitutione ZENONIS in *L. 3. eod.* conueniat *vid. IACOB. GOTHOFRED. ad cit. L. 1. C. Theod.* Hoc modo igitur nata *L. 1. C. vbi Senatores*, quæ diſponit, quod Senatores, qui Clariffimi tantum dicerentur, & Illuſtres honorarii in prouinciis, non vero Illuſtres (quod contra tenorem *L. 1. C. Theod. interpolatum*) cum adminiſtratione ſcilicet per *L. 3. §. eod.* in ipſius prouincia Præſidis ſubefſe debeant cognitioni, imo & eius iudicio, ſi ſoli eſſent Clariffimi & non Illuſtres honorarii; his vero abſolutionem quidem impertire, non vero de iis conuictis, neque, ſi abſoluantur, de eorum accuſatoribus temerariis de calumnia conuictis, qui pariter Illuſtres ſunt, ſententiam condemnatoriam ferre debeat per *cit. L. 3. §. 3. eod.* hac de cauſa quoque compilator huius *L. 1. C. vbi Senat.* verba ex conſtitutione CONSTANTINI M. quæ in *Codice Theod.* inueniuntur ſequentia omiſit, nempe vocabulum *ſtatim*, quod verba: *intra prouinciam* antecedebat, & iterum verba: *neque ſuper eius nomine ad ſcientiam noſtram referatur*, quæ ſequuntur verbum: *ſubiugetur*. Neque adeo hi fori exceptione, ob rationem quam attuli, ſe tueri poſſunt, ſi crimina in prouinciis perpetrauerint violentiæ & raptus, quæ vti potentioribus valde vſitata Imperatores maximo odio merito proſecuti ſunt *L. 6. 7. & ſeqq. C. ad L. Iul. de Vi publ. vel priuat. L. vn. Cod. de Rapru Virgin.* item ſi alia æque magna crimina commiſerint, & vel in flagranti vel in fuga vel latitantes manifeſti facti deprehendantur: quorſum tendunt verba *Legis. 1. vel in aliqua culpa ſeu crimine fuerit deprehenſus*; ibi enim vox aliqua eadem eſt ac alia qua *Conf. IACOB. GOTHOFRED.*

THOFRED.

THOFRED. *ad cit. L. 1. C. Theod.* Hisce denique adiicitur in *Leg. 1.* canon ex antecedentibus deductus: *omnem enim huiusmodi honorem reatus excludit: in quo iterum contra tenorem constitutionis CONSTANTINI M. vocabulum huiusmodi interpolatum est ex rationibus sæpe dictis, & iterum finalia constitutionis verba resecta sunt. Hæc ipsa regula vero non est ratio antecedentis sanctionis, nam sic idem per idem, & dubium per æque dubium probatum esset, sed potius est brevis repetitio totius sanctionis, & quasi totius causæ in lege propositæ coniectio, quæ sic in *Cod. Theod. cit. L. 1. de Accusat. & Inscript.* effertur: *omnem enim honorem reatus excludit, cum criminalis causa & non civilis res vel pecuniaria mouetur.* Regula itaque hæc, quæ ex iure desumitur, ex eo quoque explicanda est, non vero ius ex regula *L. 1. ff. de Reg. iur.* ideoque intelligenda est pro substrata materia, & intentione legis ex qua desumitur, scilicet de foro competente delinquentium honoratorum. Quem in finem etiam compiler nostræ *L. 1.* intentioni legis inseruiens restrictionem addidit vocabulo: *huiusmodi* ex quo veritas asserti adhuc clarius patet. Sane ipsa initialia verba huius legis, quæ ad non Illustres hanc dispositionem restringunt, non solum satis indicant, hanc regulam non esse generalem, verum etiam *L. 3. eod. tit. statim sequens* vniuersalitatem istam apertissime elidit, quippe quæ non solum generale axioma principiis nostris supra §. 4. & seqq. positis congruum hoc in *fn. pr.* continet: NE QVAS ANTE PROBATIONES INIVRIAS PATIATUR ACCVSATVS: sed etiam ob eandem causam vult *L. cit. pr. in fn. & §. 3.*, vt minutissimi quoque honores tum Illustribus cum administratione, tum Illustri-*

bus honorariis seruentur, vt in secretarii parte quadam iudicibus inferiore altercantibus vero superiore fedendi habeant facultatem, & licet Illustres honorarios itidem Prouinciæ Præsidibus subiecerit, attamen & de his condemnatoriam ferendi sententiam, Præsidibus non concessit, sed ipsi Imperatori referuauit. Nec non ipsam pœnam in delicto violentiæ, legislatoribus istis valde abominabili, prorsus differentem statuit in infames, viliores & honoratiores *L. 8. pr. C. ad L. Iul. de Vi publ. & priuat.* Tantum abest vt aliquid amplius in *L. 1. C. vbi Senat. vel Clariss.* quam de foro competente in criminibus atrocioribus actum fit, aut vt generale axioma aliquod de reatu omnem prorsus dignitatem excludente, vt vulgo sibi persuadent, ex ea erui possit, cum potius interpretatione leges pœnales molliendæ sint: *L. 42. D. de Pen.* Vt tamen adhuc certiores reddamur de veritate huius analysis, & quod ea Iuris Romani analogiæ conformis sit, quædam tantum per modum inductionis præterea ex reliquis legum Romanarum sancitis tradam, ex quibus abunde partim ipsa mea thesis apparebit, partim vero quanta diuersitas tam in criminibus cognoscendis quam puniendis & modo pœnarum inter eminentiores & viliores attendenda sit.

Assensus reliquarum legum Iur. Rom. quod reatus dignitatem non exuat.

§. IX. Audiamus ergo legum assensum: disertis verbis luculentissimum perhibet testimonium PAPIANVS *L. 17. §. 2. D. ad Municipal.* hunc in modum: *in questionibus nominatos capitalium criminum, ad novos honores antea causam finitam admitti non oportet: CAETERVM PRISTINAM INTERIM DIGNITATEM RETINENT.* Huic ad stipulatur *L. 21. §. 5. D. eod.* in qua PAVLVS ita respondit:

*Si per accusatorem criminum capitalium non stetisset, quo minus crimen intra statutum tempus persequeretur; reum non debuisse medio tempore honorem appetere: iunge L. 7. pr. D. de Munerib. in qua MARCIANVS ita differuit: Reus delatus, etiam ante sententiam honores petere Principalibus Constitutionibus prohibetur. Nec interest, plebeius, an decurio fuerit. Sed post annum, quam reus delatus est, petere non prohibetur: nisi per ipsum stetit, quo minus causa intra annum expedietur. Quod IMPERATOR ALEXANDER L. vnic. C. de Reis postulat. adhuc clarius effert: Reos criminis postulatos, NOVOS honores appetere non debere, antequam purgauerint innocentiam suam; & a Diuis Parentibus nostris & a me sepe rescriptum est. Hi textus omnes arguunt, quod pendente cognitione criminali dignitas iam acquisita integra manere debeat, vsque ad finem cognitionis, idque merito ex ratione §. anteced. ex ZENONIS Lege 3. adducta, ne ante conuictionem reis iniuria inferatur. Id tantum, iure quidem, cauent, ne novos honores petant, aut illi eis deferantur: cum post accusationem suspicionem aliquam incurrant; Maiestatem vero deceat, cautam esse, in nouis honoribus concedendis, adeoque curare, vt prius de vera dignitate candidati constet; praesertim cum non statim sit dedecori, dignitatem petitam denegare, e contrario magna ignominia, datam exuere iuxta vulgare ex OVID. Trist. 5. 7. 13.*

*Turpius eiicitur quam non admittitur hospes.*

Hanc ob causam in his textibus tam solite nouorum honorum denegandorum expresse mentio adiicitur. Quin quod maius est, conceditur reis novos honores ambire, si intra legitimum tempus accusatio non sit ad finem perducta, nec tamen penes accusatum

steterit, quominus causa finiatur. Igitur tuto hic applicare possum canonem vulgarem, quod exceptio firmet regulam in casibus non exceptis: & a contrario sensu argumentum struere licet. PEREZ *ad cit. L. vn. Cod. de Reis postulat. n. 2. seqq.* Ex quibus simul liquet, quemadmodum verba *cit. L. 7. §. 1. de Munerib.* accipienda sint, eaque mihi non obstant, quæ sanctiunt, ne is, contra quem propter honores appellatum est, & qui honoribus per sententiam vti prohibitus appellauerit, eos usurpare & interim petere non debeat. Quæ aperte iterum agunt de nouis honoribus consequendis, alias enim contraria his essent, quæ habentur. *L. vn. §. 3. & 4. D. Nihil innouar. appellat. interpos.* propter eandem rationem & si quis deportatus fuit ab eo, cui deportandi ius est, vel adnotatus, neque vincula patitur, neque vllam aliam iniuriam, quam patitur, qui sententiæ non adqueuerat: integer enim status esse videtur, prouocatione interposita. Ergo etsi abstinere ordine iussus sit, & prouocauerit: EADEM RATIONE POTEST COETVM PARTICIPARE; cum hoc sit constitutum, & sit iuris, ne quid pendente appellatione nouetur. Quæ omnia & legibus constituta & cum analogia iurisprudentiæ conuenire, VLPIANVS his exponit verbis: *cum hoc sit constitutum, & sit iuris: Adde argument. L. 2. §. 2. D. de Penis.*

## §. X.

Distinctio ex  
Iur. Rom. legibus adhibenda in digniorum criminibus cognoscendis & puniendis.

Vt ergo constet, quanta sollicitudine causæ digniorum criminales cognoscendæ sint ex præscripto Iuris Romani, conferas *L. 16. & 17. Cod. de Dignitatibus*; quibus non solum §. 8. & 9. *anteced.* dicta confirmantur, sed præterea minori quam Illustri dignitate decoratorum causæ Præfecto Prætorio commendantur. Atque amplius censent Imperatores, vt Illustres

Iustres nullam ex cuiuslibet iudicis sine scriptis habita sententia conuentionem neque in criminali causa sustineant. Omnes vero digniores vt in criminali causa extra carceralem custodiam & sub fideiussione Illustres autem sub iuratoria cautione habeantur, volunt cit. L. 16. & 17. iunge L. 1. D. de Custod. & exhib. reorum. Sicuti etiam Illustribus iniuriarum criminaliter conuentis per procuratorem respondi, facultatem concessit L. vlt. Cod. de Iniur. Porro seueram indagationem per tormenta querendia Clarissimo homine submouet L. 10. Cod. de Dignitat. eandemque fudicularum & tormentorum iniuriam Perfectissimis, decurionibus, aliis, qui dignitate principali muniti sunt, militibusque inferre prohibent L. 8. pr. & §. 1. L. u. L. 16. L. 17. Cod. de Question. nullusque omnino militie vel generis aut dignitatis defensione uti prohibeatur, cui inconsultis ac nescientibus Imperatoribus fudicularum tormenta inferuntur, iubent IMPER. VALENTIN. VALENS ET GRATIANVS L. 4. Cod. ad L. Iul. Mai. Ideoque L. 1. pr. & PAVLVS L. 8. pr. D. de Question. non in omni persona questionem locum habere arbitratus est. Nisi quod in crime Maiestatis neminem a tormentorum cruciatibus excuset L. cit. 17. Eodem modo insignis differentia deprehenditur honoratorum a vilioribus in pœnis infligendis, adeo vt & in his Romana lura sanæ rationis principia secuta sint. Qualem differentiam in personis attendendam esse, neque omnes eadem pœna adfici debere continetur L. 9. §. 11. D. de Pœnis, quæ ipsa quoque recenset pœnas metalli, operis metalli, furcæ, exustionis, quod in has damnari non possint decuriones. Et GOTHOFRED. ad h. §. addit: personarum enim ingenia, voluntates, DIGNITAS, status &c. inæqualia sunt, vt iis citra iniustitiam equalia tribui non possint; quemadmodum

IDEM

IDEM ad L. 7. eod. de fustium & flagellorum coercitione demonstrat, quod non honoratiores, sed tantum tenuiores & liberti fustibus cæsi, serui vero tantum flagellis secti sint add. L. 18. pr. eod. sic virgis in ciuem Romanum animaduertere Lex Porcia cic. pro Rabir. atque securi, vtpote gladio ignominiosiore pœna, aliisque L. 8. §. 1. D. eod. prohibuit: SPARTIAN. in Caracall. Sicarii honestiores deportantur, humiliores bestiis subiiciuntur ex L. 3. §. 5. D. ad L. Cornel. de Sicar. junge L. 15. & 16. §. 3. D. de Pen. Iterum honestiores a fustibus & metallo eximit, iisque tenuiores tantum obnoxios esse statuit L. 28. §. 2. & 5. D. eod. ac eadem §. 9. ait: Venenarii capite puniendi sunt: AVT SI DIGNITATIS RESPECTVM AGI OPORTVERIT, deportandi: quemadmodum etiam verba §. 11. huc pertinent ista: Igni cremantur plerumque serui, qui salutem domino- rum insidauerint: NON NVNQVAM ETIAM LIBERI, PLEBEII ET HVMILES PERSONAE: add. §. 16. eod. Qui abortionis aut amatorium poculum dant, humiliores in metallum, HONESTIORES IN INSVLAM, cum amissa parte bonorum relegantur per L. 38. §. 5. eod. Quæ differentia in falsi crimine pari modo obseruatur §. 7. & 8. eod. atque vxorem in adulterio occidentis humilioris & dignioris pœna differt in L. 1. §. 5. D. ad L. Cornel. de Sicar. Stupro quoque ex dignitate diuersa est pœna dicta. §. 4. Inst. de Publ. Iudic. Neque ab hoc discrimine Ius Codicis aberrare, liquido perspicitur ex L. 3. 5. 6. 9. 12. C. de Penis, quibus addere potes L. 8. §. 1. & L. 10. C. de Vi publ.

## §. XI.

Mitto nunc Ius Romanum & quædam tantum ex Iure Canonico considerabo. Vix quidquam de hac

Iuris Canonici  
sententia  
de honestio-  
rum reatu.



hac re Pontificium Ius cauet; nisi quod ecclesiasticarum personarum dignitatis conseruandæ causa & de pœnitentia ecclesiastica aliisque pœnis ecclesiasticis pauca disposuerit. Quod ita criminum digniorum cognitionem ex Iuris Papalis præscripto concernit, per ALEXANDRVM III. laici ab accusatione clericorum prohibentur *cap. 10. X. de Accusat. Inquisit. & Denunciat.* præsertim vero *cap. 17. & infra X. eod. & cap. 24. eod.* iniungitur, vt contra Prælatos accusationes non nisi cum prouida circumspectione & præcedente inscriptione admittantur: *ne concussis columnis corruat edificium*: clarius adhuc variis textibus minorum & inferiorum Ordinum personæ a superiorum accusatione repelluntur. *c. 9. 10. n. seqq. Caus. 2. Quest. 7.* additurque, quo non opus erat, prætextus hic: *si enim CHAM, quia non operuit pudenda patris, maledictus est; multo ampliori condemnatione digni sunt, qui patribus legatione Dei fungentibus contumeliam inferunt; & cap. 13. eod. quod oues, que pastori suo commisse sunt, eum nec reprehendere debeant, nec ullatenus accusare possint.* Ita porro in crimine probando probe respiciendum est ad dignitatem testium ex sententia. *c. 3. C. 4. Quest. 2. & 3.* Deinde curat etiam Pontificium Ius, ne in pœnis infligendis clericorum dignitas non attendatur: ideoque clericorum crimina etiam alias capitalia plerumque expiantur detrusione in monasterium vid. *can. 7. Distinct. 50. cap. 6. X. de Pœn.* atque dignitate clericorum callide prospexit, quod degradatio clerici feueritatem pœnæ præcedere debeat. *cap. 2. de Pœn. in 6to.* Imo in ipsa pœnitentia ecclesiastica dictanda non negligendam esse conditionem hominis, docet *cap. 6. X. de homicidio volunt;* sicuti etiam in excommunicatione nobilita-

E

bilita-

bilitati pareet *c. fn. X. de Pœnis*. Id tantum adhuc considerandum est, an non forsan ipsi Iuris Canonici textus adsint, qui mihi aduersentur. Ita videtur *can. 4. Caus. 25. quæst. 1. §. cap. 19. §. 21. §. 1. §. seq. X. de Accusat.* ob stare. In *can. 4. cit.* dicitur nimirum, quod reatu maiori delinquat, qui potiori honore perfruitur. Verum hic canon loquitur de crimine respectu Dei adeoque de maiori peccato, *per verba finalia*: sed maius peccatum, imo etiam si esset maius scandalum, tamen non ideo statim esset maius crimen: atque fictiam concederem, quod sit maius crimen; nihil amplius inde euinceretur, quam quod maiori pœna coercendum sit tale delictum, sed hæc minime doctrinæ meæ contraria sunt, cum inde non efficiatur, quod eadem & æque infamante pœna sint plectendi digniores, maxime si perpendatur, quod supra docuimus §. 6. quod pœnæ, quæ inferioribus minores sunt intuitu honoratorum, pro maioribus æstimandæ sint. Tandem & id non omittendum, quod dictus canon agat tantum de delictis contra officium admissis. Multo minus obstabit mihi *cap. 19. §. 21. cit.* licet enim ibi delatus ob crimen, sapius vna vice, infamatus dicatur, statim tamen apparet, quod infamatus ibi significet idem quod diffamatus, seu fama delatus & inculpatus, quod ipsius *cap. 21. §. 1.* verba sequentia probant: *nulum esse pro crimine puniendum super quo aliqua non laborat infamia, seu clamosa insinuatio non præcesserit*; item paulo post: *qui libellum infamationis porrigunt. Conf. cap. 24. X. eod. §. cap. 12. X. de Purgat. Canon.* Ex quibus simul patebit explicatio *cap. 2. de Accus. in 6to* in quo *omissa inquisitio de infamia* videtur denotare omissionem inquisitionis generalis de fama, inculpatione, diffamatione.

## §. XII.

Denique dispiciendum est, quemadmodum ipsi Iuri Germanico hoc brocardicum aduersum sit, & quantumne Patriæ leges dignitati honestiorum etiam in delictis indulgeant. Sed si rem ex instituto perferutari, & ab antiquis legibus repetere, aut secundum omnes legum communium & prouincialium species discutere vellem, tam latus aperiretur differendi campus, vt opus ingens conscribere possem: cum autem itineri iam iam accinctus temporis angustia excludar ab hoc instituto, contentum me esse oportet, per indicem saltem commemorare, quantum discrimen inter honoratiorum & viliorum conditionem in delictis tam cognoscendis quam puniendis ex *Nemesi Carolina* primaria criminalium lege, & occasione huius atque hodierni processus Inquisitionis analogiæ ex Iureconsultorum præstantium doctrinis appareat. Id tamen præmittendum est, quod quemadmodum Patrium ius in plerisque rectæ rationi inferuit plus quam extraneæ leges, ita nullum dubium sit, quin ex istis tantum, quæ §. 4. 5. 6. disserui, audacter asserere possem, quod reatus apud nos non exuat omnem dignitatem, dum iusti regulis ex recta ratione petitis apud nos tam diu standum, donec alia ciuilis lex allegari possit, ac præterea absurdum sit, legem quarere, ybi ratio sufficit; at lex Germanica, dignitatem reis in vniuersum eripiens, non mihi demonstrabitur. Ex quo porro notandum, quod ea, quæ ex Latii aut Pontificii Iuris fontibus supra depromta & proposita, ac eadem naturalia principia agnoscunt, nec propriis ciuilibus institutis a nostris moribus discrepantibus nituntur, nobis quoque con-

Scita legum Germanicarum de cognitione delictorum eorum qui honoribus præditi.

uenientia sint. E contrario palam est, quod *L. 1. C. ubi Senat. vel Clariss. &* quæ in ea de digniorum foro tradita sunt, singularem tantum comprehendant causam, atque speciali ex ratione disposita sint; adeoque nos non tangant. Verum consideremus propria nostra. Itaque plerique nostrorum agnoscunt, maiorem integritatis præsumtionem militare pro dignioribus, idque de Nobilibus præsertim deducit *NOLDEN de Statu Nobilium civil. cap. 12. sed & aliis dignioribus, qui in gradu æquali sunt, vindicat GEORG. BEYER delineat. Iur. Germ. lib. 1. cap. 2. post, 32. idque merito secundum generalia principia supra deducta. Ex quo simul liquet, quod etiam facile concedant reliqua, quæ supra in medium prolata sunt, de dignitate non frustra minuenda. Imo cum ipsis legibus hæc conveniunt, utpote quæ, si, dignitatem in quadam causa non attendi debere, volunt, continere solent clausulam: ohne Ansehen der Person, Standes und Würden; exceptiones itaque eiusmodi firmant regulam in casibus non exceptis. Iudicem quod attinet, qui digniorum delicta cognoscit, inque ea animadvertit; non semper quisque inferior iudex est, cuius subditiōe delictum commissum, nec prorsus expirat fori præscriptio, sed Nobiles aliique in pari aut maiori dignitate constituti plerumque provinciæ dicasteriis subsunt, quæ tamen raro ipsa inquisitionem instituant, sed potius eam advocato fisci demandant & deinde acta ad extraneos transmittunt. MAGNIFIC. ATQUE ILLUSTR. DN. GASSERVS Prælect. in Cod. Tit. ubi de Crimin. Sententiæ meæ non obscure adstipulatur *Const. Crim. Carol.* ex qua etiam dignitas sedulo consideranda est a magistratibus, tam in accusationibus, quam in qui-*

inquisitionibus suscipiendis. Sic in accusationibus iudex cautus esse iubetur in exigenda cautione ab accusatore, eaque aestimanda maxime ex dignitate accusari *C. C. C. art. 12.* nach Gelegenheit der Sachen, und Achtung beyder Personen & *art. 13. ac 14.* Nach Gelegenheit der Person atque iterum *in fine §. 14.* In solchen Fall mögen sich andere Personen ungefährlich nicht geringerer Achtung den der Beklagte an ihrer Stadt &c. Cum autem inquisitio, quam iudex ex officio instituit, etiam inquisitum iniuria afficiat, si sine sufficiente ratione instituat, atque honoratiori hoc modo atrocior iniuria inferatur; sequitur, quod in ea ordinanda non minore prudentia opus sit, quam in accusatione: hinc neque cognitionem criminum honoratioribus imputatorum, nisi in gravissimis delictis, inquisitionem dicunt, nec acta ita inscribuntur, sed tantum Denunciations-vel Erfundigungs-Acta, neque reus inquisitus sed denunciatus vocatur: *LYDOV. Process. Crim. cap. 4. §. 2.* Imo ab initio neque statim tractatur tanquam denunciatus, sed citat eum iudex & simulat, quod eum interroget tanquam testem; si quis enim iniuste tortus aut tanquam reus inquisitione receptus est, ipsi satisfactio danda für die Schmach, eaque maior est pro personæ dignitate *C. C. C. art. 20.* Præterea citatio in utroque processu in scriptis fieri debet. *BRVNEMAN. ad Tit. Cod. de Dignitat. num.* Inculpatus autem, si sentiat suam agi rem, & inquisitionem aduersus se esse institutam, non solum inquisitionem specialem sed etiam responsionem summariam totamque inquisitionem oblata defensione amoliri studet, vt & suspicione aliorum de crimine se exsoluat. Si ergo prorsus innocens non sit,

fit, adeoque responſionem ſtatim declinare non poſſit; tunc tamen ſolet & inquiſitio ſpecialis & reſponſio ad articulos inquiſitionales diſſimulari, ita vt loco horum, tantum, vt dicunt, quæſtiones formentur, aut articuli ſimpliciter ita dicti, ad quos reſpondeat. *LVDOVICI cit. §. 2. MYLIVS addend. ad BEYER. in C. C. C. ad art. 7. num. 24.* Quo caſu etiam illud notandum eſt, quod apprehenſio perſonæ honoratioris ſuſpectæ non tam facile locum habeat, quam vilioris, eſſi quoque inquiſitio ſpecialis auerti non potuerit, quoniam fugæ ſuſpicio tanta non adeſt, & tamen ingens iſtis naſceretur incommodum, & ignominia: quod vel in tantum verum eſt, vt in capitalibus criminibus nequidem ordinariis carceribus includi poſſint, ſed domi aut alio loco non adeo ſordido cuſtodiendi ſint, niſi ob perduellionis & ſimile crimen vrgentiſſimis ex præſumptionibus ac grauiſſimis indiciis ſuſpecti ſint facti, aut forſan cuſtodiam eſtreguerint. *BRVNEMAN. Proc. Inquiſit. c. 8. memb. 1. n. 1. LVDOVICI cit. loc. cap. 2. §. 5. 6.* Vt itaque indiciorum & ſuſpicionis grauitas rite æſtimari poſſit, cum ad ſuſcipiendam inquiſitionem aut accuſationem, tum ad adigendum reum, vt reſpondeat ad articulos inquiſitionales, pariter ad probationes per agendas, iterum dignitatis inculpati atque teſtium, qui contra ipſum teſtimonium perhibent, conditionis ratio probe habenda eſt; requirit enim *C. C. C. art. 25. 28. & paſſim* vt iudex in indiciis delictorum æſtimandis, reſpiciat auch den Verdacht, ob es eine Perſon ſey, zu welcher man ſich der That wohl verſehen kan. Verum in digniores, per antea dicta, ſuſpicio non adeo facile cadit, ideoque grauiores requiruntur probationes & argumenta ſuſpicionis: idcirco

circo denunciatus & testes accusato seu inquisito ignoti & viliores non solum ab eo reprobati possunt: BEYER & MYLIVS ad C. C. ad art. 62. seqq. num. 7. & 42. sed etiam inculpatione a socio criminis facta, cauet *Constitutio Criminalis Carolina art. 34. in fin.* und in solchen ist sonderlich auch ein Aufsehens zu haben, und zu erfahren, den guten und bösen Stand und Leumuth des Versagten: vbi sane dignitas comprehenditur. Eadem de causa in confrontatione, vti dicunt, decernenda, iudex cautus sit, ne sine vrgentissima necessitate & fortissimis delicti argumentis digniorum ob crimen delatorum cum vilioribus testibus vel delicti correis confrontationem instituat; sed merito denunciatus dignior defensionem, pro auertenda confrontatione imminente, sibi exposcere poterit: cuius rei ratio iam sufficiens prolata est, vti etiam assertio fulcitur *argumento c. 3. C. 4. Q. 2. § 3. supra cit.* eique assentiunt *CARPZOV. Crim. q. 114. n. 77. seqq. LVDOV. cit. loc. c. 7. §. 3.* Sic quoque in probanda innocentia, ad elidenda indicia per reprobationem aut exceptiones deducendas, ex principiis naturalibus §. 4. 5. deductis, præcipue in probando moderamine inculpatae tutelæ in homicidio, cui spectatores non adfuerunt, ex ipsa *C. C. art. 143.* intentione, dignitas moderamen probare intendentem adiuvat: cum in contemplationem veniat der gute und böse Stand jeder Person; & præterea iudex curæ habere debeat, die Vermuthung der Nothwehr: at præsumtio est pro honore conspicuis: maxime vero ea ne hoc casu negligenda est. NICOL. BOER *decif. 164. num. 15.* MENOCH. *de Præsumt. lib. 1. q. 92. n. 3.*, cum iubeatur iudex in *fin. art. 143.* vt in casu dubio peritiores consulat, mit Zurücklegung aller Umständen;

offendit  
 in hoc  
 mch  
 audire  
 mch  
 vch  
 onch

den; qui peritiores autem ista omnia considerare debent. Non minor diuersitas occurrit circa merendi veritatem inter digniores & viliores, quemadmodum enim tormentorum cruciatus reprobationis loco ad elidendas præsumptiones & coniecturas delicto imputato infliguntur, in defectu alius reprobationis, & vbi iusiurandum pro sufficiente indiciorum elisione, ob animi leuitatem, adeoque periurii metum, non habetur; ita ex aduerso in dignioribus, Nobilibus & æqualibus præcipue, ob maiorem fidei & integritatis præsumtionem, vbi nec animi leuitas nec periurium ita valde metuendum, iusiurandum sufficit, vt ab ignominiosa indagatione quæstionis immunes esse debeant; cum tota ratio torturæ teritionis & purgatorii distandi ex præsumtionibus & coniecturis legitimis pendeat, quæ quantæue vel pro vel contra inquisitum militent. Idque eo magis attendendum, quo maiori afficerentur contumelia præ aliis humilioribus, vid. CARPZOV. *Crim. Part. 3. q. u8. num. 65. seqq. Et turmam Doctorem ibi citatorum.* Quod si tamen criminis atrocitas & probationum argumenta fortissima suadeant, vt iudex necesse esse existimet, vt seuerum instituat examina, id propria autoritate non audeat, sed Superioris iussum exspectet, quod Iurisconsulti etiam in sententiis criminalibus ferendis obseruant. CARPZ. *cit. q. u8. n. 23. seqq.* LVDVIC. *cit. loc. cap. 9. §. 46.* BRVN-  
NEM. *Process. Inquis. c. 8. membr. 5. n. 24.*

## §. XIII.

De honestiorum  
penis quibusdam  
differentibus  
a viliorum  
animaduersione.

Tandem adhuc inuestigandum est, an etiam in pœnis dictandis ordinis & dignitatis ratio habenda sit. Nec hoc negandum esse arbitror, ita quidem vt honoratioribus non statim mitiore pœna afficiantur, sed potius



potius poena ordinaria in aliam sit commutanda, quæ, etsi intuitu eius, qui eam sustinet, non mitior sit, quam intuitu aliorum ordinaria poena est, talis tamen sit, vt non adeo magnam ignominiam afferat. Neque desituimur ipsis textibus *Iuris Carolini Criminalis*, in quibus dignitatis ratio habetur in poenarum determinatione. Ita nempe in genere *artic. 104. & 105.* constituitur, quod iudices in poenis imponendis Ius Iustinianæum diligenter curæ cordique habere debeant, & e contrario prohibetur, was Sachen, oder derselben gleichen, unser Kaysertlich Recht, keinerley peinliche Straff am Leben, Ehren, Leib oder Gliedern setzen oder verhängen, daß Richter und Urtheiler, dawieder auch niemand zum Tod, oder sonst peinlich straffen. At Iure Iustiniano digniores longe aliter puniri quam viliores, supra sat demonstratum est. Ex quo simul refellitur aliorum obiectio, quod dignitas ideo non sit attendenda in processu inquisitorio, & in poenis definiendis, quod *C. C. C.* hanc distinctionem neque in materia de tortura neque in poenis dictandis comprehendat. Cui accedit, quod tam his *cit. articulis* quam alias plerumque assidue inculcet *Ordinatio Carolina*, quod iudex peritiores consulere debeat, qui Iuris Romani maxime gnari essent, vti sit *cit. art. 104. & 105.* Quod inde adhuc verius est, cum hac lege præcipue iudicibus iurisprudentiam non edoctis aliqualis tantum norma præscripta sit, vt aliquod subsidium habeant, quemadmodum non solum *art. 1. & 150.* sed præterea id indicat, quod per omnia fere ad peritorum consilia alligati sint iudices. Sunt tamen quoque casus, in quibus *Sanctio Carolina* expresse de digniorum poenis cauet. Nimirum *art. 106.* disponitur de

F

blasph-

blasphemis, quod debeant puniri aut Leib, Leben, oder Gliedern nach Gelegenheit und Gestalt der Person, und Lasterung. Idem occurrit, *art. 174.* quoad crimen termini moti. Et iterum de stupro violento *art. 119.* Porro *art. 40.* ad moderamen inculpatæ tutelæ refertur, si quis aliquem occidisset, cum fugere non potuisset ohn Verletzung seiner Ehre und guten Leumuth: quod sane in delicto hoc dignitate præditorum non negligendum est. Pari modo dignitas poenam furti variam admittit, non solum in furto paruo manifesto *art. 158. verb.* Wäre aber der Dieb eine solche ansehnliche Person *ic.* verum etiam in furto qualificato per *art. 159. verb.* oder sonst nach Gelegenheit der Person und Ermessung des Richters in andere Weg, mit Ausstechung der Augen, oder Abhaunng einer Hand, oder einer andern dergleichen schweren Leib-Straffe gestrafft werden soll. De furto magno non minus cauetur *art. 160.* mehr soll ermessen werden der Stand und das Wesen der Person so gestohlen hat. Vix ergo ex intentione *Nemese Carolinae* illi, qui in egregia quadam dignitate constituti sunt, capite plectendi sunt, nisi in atrocissimis delictis, de quibus tamen lex nihil peculiare constituit. His maxime commoti iam plurimi lureconsulti docuerunt, quod poenæ, quæ acerbiozem infamiam inferunt, Nobilibus & aliis pari dignitate præditis, etsi capitale supplicium mereant, ordinarie infligendæ haud sint, nisi forsan perduellibus aut pari flagitio contumiuatis, vbi tamen exauctorationem quandam præmittendam esse volunt. Itaque a suspendio eos liberant *FARINAC. P. 3. Crim. q. 98. n. 116. BERLICH. P. 5. conclus. 44. n. 33.* cuius loco in delictis, rempublicam insigniter turbantibus, gladius aut amputatio manus dicta-

dictatur, quæ vltima pœna quoque in locum fustigationis surrogatur. *vid. BEYER. Delin. Iur. Germ. lib. 1. cap. 2. n. 32.* qui casum refert; & memini ante aliquot annos in studiosum quendam electiue pronunciatam fuisse sententia alternatiua fustigationem aut manus amputationem, qui equo, quo vehebatur, incitato in ciuem obuuium irrumpens eum humi prostrauerat, quem pessum æquus ita prefferat, vt paucas post horas moreretur. Si vero delictum tranquillitatem reipublicæ non adeo insigniter turbat, vt alia pœna corporis afflictiua, aut & præsertim arbitraria tantum expiandum sit; tunc loco pœnæ corporis afflictiuæ carcere vel pecuniæ summa puniuntur. *FARINAC. Part. 3. Crim. 98. n. 102. FOLLER. Praef. Crim. c. 16. n. II. BERL. P. 4. Conclus. 33. CARPZ. Crim. P. 1. Q. 2. n. 4. BEYER. cit. loc. COLER. P. 1. decis. 174. seqq.* Patitur quoque vulgaris regula: qui non habet in ære luat in corpore, in Nobilibus & reliquis eiusdem dignitatis, limitationem: eo casu nempe, quo humilior in multam condemnatus, si illam soluere non possit, tergum subsidiarium præbere debet, cum digniore aliter agendum est. *vid. HERT. Opusc. Tom. 3. pag. 544. STAMM. de Seruit. person. lib. 1. tit. 1. §. 20. MENKEN. diss. de Tergo subsidiar. c. 2. th. 15.* Optimum ergo est consilium & procedendi modus, de quo *BEYER. ad C. C. C. art. 6. § 7. §. 8. seqq.* agit, quod honestiores in delictis non adeo atrocioribus sub conditione certæ multæ, sponte soluendæ, ab inquisitione liberandi sint & dimitti soleant, Possem quoque huc referre, si temporis angustia permitteret, differentias pœnarum militarium tam ab aliorum pœnis, quam etiam pro diuersitate graduum dignitatis inter se, tamque quoad pœnas capitales &

corpus afficientes, quam quoad coercitiones reliquas. Sic omnibus nota est diuersitas in pœna laquei ob delicta militaria a suspendio furum: ita loco gladii milites plerumque globulis transfiguntur emissis e sclopetis: nec fultigantur, sed huius pœnæ vice miles delinquens per ordines circumcurrere coactus virgitim cœditur: Est quoque militibus corporis coercitio, si gladio verberantur, honestior fuisse: aliaque quotidie obseruantur. Tandem etiam in ipsa executione sententiæ, & trucidati corporis exequis non vna est differentia. Non raro superiorum dignitatum delinquentibus dictæ capitales pœnæ prudenter priuatim executioni dantur; reliquorum honoratorum autem, etsi in conspectu populi supplicio afficiantur, cadauera aliter tractanda sunt, vt nimirum non facile insepulta maneant, quale quid militibus laqueo suffocatis quoque contingit. Ipsis denique exequis honoratorum plus indulgetur, etsi enim punitorum viliorum cadauera vel in loco inhonesto, vel certè extra cœmeterium ad marginem, aut speciali quodam in loco dem Armen-Sinder-Gottes-Acker condantur, nec dum efferuntur velaminibus, funeri adhiberi consuetis, tegatur locus, & per maleficos aut ignominiosos funus efferendum sit: Tamen in honoratorum cadaueribus funerandis ea pleraque aliter se habent, præsertim si capitalis pœnæ executio priuatim facta sit; tunc enim ipsa executio prorsus dissimulari solet.

## §. XIV.

Conclusio.

Sufficienter demonstratum esse cenſeo, quod fallat regula: reatus exiit omnem dignitatem: vt, qui eam tanquam ordinariam normam considerare velit,

DIGNITATEM EXCLVDENTE. 45

velit, regulam sibi fingat, quæ exceptionibus absorbetur. Tantum coronidis causa moneo, quod tritum hoc prouerbium tam laxum significatum accepit, inde forsan esse, quod non rite intellexerint Iureconfulti verba finalia *L. i. C. Theod. de Accusat. & Inscript.* eaque pro generali regula habuerint: cui postea accessit *Glossa in summar. L. i. C. ubi Senat. vel Clariss.* quam Baldus totam in hanc breuem summam coniecit: reatus excludit omnem dignitatem. Deinde maius hæc regula incrementum accepit per opinionem de homicida ex lege diuina vniuersali capitaliter puniendo, cum postea, per comparisonem aliorum delictorum cum hoc, aliis quoque diuersum est applicatum. vid. *CARP. Crim. P. i. Q. 2. n. 9.* Sicuti etiam processus inquisitorius contra hæreticos regulæ fauēt. Sed hæc vel ab aliis vel a me supra iam sunt destructa, vt ea refutare, hac vice superfedeam. Finem potius dissertationi impono, & opto vt vbique iustitia administretur sine iniuria.

S. D. G.


GENEROSISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
DOMINO RESPONDENTI

S. P. D.

P R A E S E S.

**Q**uemadmodum mala exempla bonos facile perdunt, ita e contrario egregia proborum facta animos ad honestam vitam instituendam admonent & non raro incitant. Dantur cuiusque ætatis homines, qui tam proba quam pessima

pessima exempla aliis præbent, maxime vero iuueni-  
 lis ætas horum plena est, quæ sæpissime bonos mo-  
 res corrumpunt. Laude digni itaque sunt iuuenes, qui  
 non solum meliora sequuntur, sed etiam suo exem-  
 plo aliis prodesse cupiunt. De Te, Generosissime  
 Amice, ex animi sententia testimonium perhibere  
 possum, quod non tantum a probis exemplum in vi-  
 ta Academica ceperis, sed eodem modo aliis præiue-  
 ris. Siue enim industriam considerem, gauisus sum,  
 quoties Te, inter auditores diligentissimos perspexi,  
 singulari assiduitate & cupidine Iurisprudentiæ do-  
 gmata haurire. Siue etiam vitæ rationem respiciam;  
 inter bonos ciues te referre, non dubito. Quidni  
 itaque laudarem tales mores, quare non gratularer  
 de vita Academica hoc modo peracta? Opto po-  
 tius, ut probitatis & industriæ vberissimos fructus per  
 totum vitæ tempus percipias. Et quemadmodum  
 iam publica disputatione specimen eruditionis ac-  
 quisita edis, dignitatum prærogatiuas defendens;  
 ita in votis habeo, ut in bonum dignitatis Tuæ ampli-  
 ficandæ omen res vertatur, utque ea in dies crescat,  
 & reliqua fortunæ bona Tibi cœlesti fauore large ac-  
 cedant. Quæ Tibi ex hac bonarum artium mercatura  
 discedenti apprecor amoris affectu, simulque Tuo  
 fauori me de meliori commendo. Vale. Dabam  
 Halæ die imo Aprilis Anni MDCCLXXXII.









Halle, Diss., 1732 (1a)

ULB Halle

3


003 120 813



SA

1018





Q. D. B. V.  
DISSERTATIO IV  
DE

REA

NON

OMNEM DI  
TEM EXCLV

*ad L. 1. C. Vbi Senator. ve*

QVAM

IN REGIA FRIDE  
PRAESID

IOANNE TOBIA

I. V. D.

PUBLICAE ERVDITORVM DISQ  
AVTOR

BERNHARDVS F  
DE SCHA  
EQVES BREMI

DIE ~~XXX~~ APRILIS M  
H. L. Q. C.

HALAE MAGDEB  
STANNO GRVNER



*Carroll*  
*1. Aufl. 2. Aufl. von ...*

